A *fuit*, legiturque *Cant.* I, 10. de genis ſponſæ, quæ נָאווּ ornatæ aut formoſæ ſunt: *c. II, 14.* de aſpectu ſponſæ, qui נָאוֶה *c. IV, 3.* de eloquiô ejus נָאוֶה. ſic *c. I, 5.* nigra ſum, ſed נָאוָה *c. VI, 3.* pulchra es velut Thirſa, נאוה ſicut Jeruſalem, *Jeſ. LII, 7.* quàm נָאווּ ſpecioſi ſunt pedes evangelizantium? *Prov. XIX, 10.* & *XXVI, 1.* non נָאוֶה congruit vel decora eſt ſtulto gloria, & voluptas: *Pſalm. XXXIII, 1.* לַיְשָׁרִים נָאוָה ת justos decet laus (Deo tribuenda;) *Pſal. CXLVII, 1.* quia amœna נָאוָה ת & decora eſt laus (Dei.) Quare & h. l. deſcribitur domûs divinæ dignitas, quòd eandem deceat ornetque ſanctitas tam rerum divinarum illic obviarum, quàm ſanctitas cultorum, illic adorantium, quippe qui & ipſi mente purâ debent, venerari Dominum, ſacrumque cultum dignè exequi; juxta *Pſalm. CX, 3.* populus tuus (tibi ſerviet) in decore ſanctitatis &c. *Pſ. XXIX. 12.* & *XCVI, 9.* adorate Dominum in decore ſanctitatis. Luth. die Heiligkeit zieret dein Hauß. poſt. iſt die Zierde deines Hauſſes ewiglich. Campen. *domum tuam eleganter exornaſti ſanctimoniâ,*

B לְאֹרֶךְ *in longitudinem dierum*:) i. e. in dies longos usque & interminabiles: prius enim ſubſtantivum vices gerit adjectivi, uti dictum *Pſalm. XXIII. 6.* ubi phraſis eadem: ut inhabitem in domô Domini לְאֹרֶךְ יָמִים. Campen. *quæ duratura eſt perpetuò.*

USUS PRACTICUS E VERSU I.

(1) *Dei imperium extenditur in cuncta exiſtentia, viſibilia & inviſibilia; diſponit pro lubitu, & abſolutè, compenſat juſte, non eſt otioſus; non gubernat per alios, nec gubernatur ab aliis, dormitat nunquam,* Pſ. CXXI, 4. *&c.*

(2) *Meſſias idem ipſe Rex eſt:* 1. Tim. VI, 15. Apoc. XVII, 14. XIX, 16. I, 5. Pſ. LXXII, 17. LXXXIX, II, 6.

(3) *Venerandus ergò hic Rex eſt, ne læſæ majeſtatis rei, per erroneam de eo doctrinam moresve pravos, rigidè puniamur:* Pſal. II, 7. Luc. XIX, 27.

[4] Splendor & majeſtas *undiq; inſtar veſtimenti ambit noſtrum regem:* 1. Tim VI, 16.

[5] Potentia *regis eſt infinita, non inſtar* cinguli *adventitia, aut ſeparabilis, ſed* cinguli *inſtar ſemper in promtu, &c.*

[6] Orbis terrarum, *à primâ inde creatione idem perſtans, ſufficiens* Potentiæ *indicium.*

[7] *Terræ motus particulares, totaliſque terræ in fine mundi interitus, non obſtant huic prædicatæ* immobilitati.

USUS E VERSU II.

[1] Dei Thronus *ſeu imperium nil prorsùs habet, quod metuat; nil omnis inferni poteſtas: utut tyrannidem jam affectat, obtinebit unquam; imò ſubjugabitur horribiliter in fine mundi:* 1. Cor. XV, 24. 54. Pſ. CX, 1.

[2] *Initio caret Rex noſter, ſiquidem* eſt ab æternô: Pſ. CII, 28. XC, 1.

USUS E VERSU III.

(1) *Ex comparatione Creatoris cum creaturis evidenter colligi poteſt Regis eminentia.*

[2] Fluviorum, *v. g. Euphratis, Nili aliorumque magna ſunt vires, ad peſſundandum obruendumque quælibet obvia: par ratio* populorum multorum: *juxta illud: aquæ multæ, populi multi:* Apoc. XVII, 15. *L. de Belli damnis.*

USUS E VERSU IV.

[1] *De* Fluctuum marinorum *horribilitate fragoribusque loquantur, qui experti ſunt:* Pſal. CVII, 23. CIV, 25.

(2) *Cunctis illis verbulo imperat Rex noſter. Sic immenſis etiam hoſtium exercitibus.* Matth. VIII, 27. Jeſ. LVII, 20. Jer. XLVII, 2. Pſ. LXXVI, 6. LXXXIX, 26.

[3] *Major, qui apud nos quàm qui, in mundo:* 1. Joh. IV, 4.

USUS E VERSU V.

(1) *De Verbi divini firmitate, deque.*

(2) *Eccleſiæ ſanctitate, in L. de* Script. S. *& de* Eccleſia, *conf.* 1. Tim. III, 15. 2. Tim. III, 15. 1. Pet. I, 15. III, 4. Lev. XIX, 2. Pſ. CX, 3. XLV, 14.

PSALMI XCIV. DISPOSITIO.

Vindica iniquos. Jus viret. Ultor Dominus.

C Eſt hîc (I) Invocatio Supremi Judicis, cujus (1) compellatio: *Deus ultionum: Judex terræ: v. 1. 2.* (2) petitum: *illuſtris appare: v. 1. exaltare: ſuperbis repende: v. 2.*

II. Hoſtium accuſatio: (1) *Impii exultant: v. 3.* (2) *procaciter dureque loquuntur: v. 4.* (3) *populum tuum hæreditarium affligendo contundunt: v. 5. viduam, pupillum peregrinamque interimunt: v. 6.* (4) *Deum cæcum inſipidumq; fingunt: v. 7.*

III. Eorundem correptio: Ubi [1] alloquium: *ô ſtupidiſſimi omnium ſtolidique reſipiſcite! v 8.* [2] confutatio ipſa: ex ratione cauſæ & effectus, quod in hôc plus eſſe nequeat, quàm fuit in illa: (a) *fabricator auris audit* omninò ipſe: (b) *faciens oculum videt ipſe: v. 9.* (c) *caſtigator gentium corripiet individua: v. 10.* (3) Concluſio: *docens ergo hominem ſcientiam v. 10. ſcit ipſemet cogitata hominum vana: v. 11.*

IV. Afflictorum conſolatio: (1) *beatus eſt vir:* (2) *quem Dominus caſtigat:* (3) *in lege ſuâ informat: v. 12.* (4) quem *tranquillum reddit, donec impio parata fovea: v. 13.* (5) *Deus non deſeret populum ſuum hæreditarium: v. 14.* (6) *Judicium Dei juſtum innoteſcet integris quibusvis: v. 15.*

V. Ipſius autoris pſalmographi erectio: ubi (1) ſocios invitat: *quis mecum ſurget contra improbos? v. 16* (2) Dei gratiam commendat: (a) *niſi Deus auxiliator meus, actum jamjam de me eſſet: v. 17.* (b) *pedem meum vacillantem gratia Dei fulcivit: vers. 18.* (c) *inter medias turbas conſolationes tuæ me exhilararunt: v. 19.* (3) Juſtitiam Dei exaggerat: utpote *cui nunquam ſociabitur vel* placebit *ſolium iniquum, oneroſum, truculentum: v. 20. 21.* (4) Sibi ipſi pollicetur *ſecurum præſidium: v. 22. hoſtiumque promeritum exitium. v. 23.*